

Kew
737




Kem 737







DE
CORTICE PERUVIANO
SPECIEBVS DEBILITATIS
MAGIS ACCOMMODANDO



EX CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPHO
BOEHMERO

POTENTISSIMO BORVSSOR. REGI A CONSILIIIS AVLICIS,
MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVrgIAE PROE, PVBL. ORD.
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ETC.

PRO

GRADV DOCTORIS
RITE OBTINENDO

DIE XXVI. OCTOBR. MDCCLXXV.

PVBLICE DISPVTABIT

A V C T O R


THEODOSIVS GOTTLIEB NEIGEFIND,

SVIDNICIO - SILESIVS.



HALAE AD SALAM,
TYPIS IO. HENR. HESSII.

DE
CORTICE PERUVIANO
SPECIEBUS DEBILITATIS
MAGIS ACCOMMODANDO



EX CONSENSU
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
D. PHILIPPO ADOLPHO
BOEHMERO

POTENTISSIMO BORVSOR. REGI A CONSILIIIS AVALICIS,
MEDICINAE ANATOMIAE ET CHIRURGIAE PROF. PUBL. ORD.
TACULATIS MEDICAE SENIORE ETC.

PRO
GRADA DOCTORIS

RITE OBTINENDO
DIE XXVI OCTOB. MDCCCLXXV

PUBLICAE DISPUTABIT

A V C T O R

THEODOSIVS GOTTLIEB NEIGERIND

PAVDNICIO - SILLESIVS




HALAE AD SALAM,
TYPIS IO. HENR. HESSII





§. I.

 Ut corporis robur virium in uniuersum intensitate & magnitudine, sic earundem remissione debilitatem corporis dimitimur. Quod, etsi haecenus satis verum exploratumque est, ut de eo nemo dubitet, una tamen alterave, qua illustretur, animadversione indiget. Itaque tenendum praecipue, robur ac debilitatem ita constitui debere, ut ad sanitatem semper, tanquam ad mensuram, referantur. Nam ista virium intensitas, quae sese in morbis quibusdam aut, si placet, symptomatibus effert, ut in epilepsia, tussi convulsiva, palpitatione cordis &c. quaque firmissimae corporis partes interdum dissolvuntur eque situ suo moventur, nequaquam veri roboris indicium habetur, siquidem & limites, naturae humanae constitutos, excedit, & in aequae magnam tandem debilitatem desinit, & in uniuersum omnique ex parte morbofa est, quale quid de robore corporis, eo saltem, quod hic consideramus, dici non potest. Anne enim risu excipiendus esset, qui sanissimum ideo hominem debilem vo-

A

care



care veller, quod is non convulsionibus ceterisque efferatæ virium actionis symptomatibus torqueatur? — Neque vero sanitas perfectissima modo, sed ea etiam, hæcque potissimum, spectanda venit, quæ propter ætates, temperamenta, sexus, reliquasque limitatæ sanitatis causas, a perfectissima recedit. Hoc enim si neglexeris, neminem forte robustum salutare poteris, cum nemo forte sit, qui tantum, quantum perfectissima sanitas requirat, robor nactus sit, saltem robor permultis, quos in vita communi reſeque, valentes & robustos nominamus, denegare debebis, ut quibusdam infantibus. Quamquam enim fatendum est, infantes, puellas feminasque sapius debiles nuncupari: attamen hoc ipsum nomen non adeo veram debilitatem, quam minus robor innuit, possuntque omnino duo homines æquali robore (nempe pro corporum ratione) gaudere, etsi unius robor id, quod in altero eminent, absolute superat. — Denique ad id etiam advertendum, quod medici debilitatis notas non una ratione constituent, sed remittentium solutarumque virium sequelas & indicia tam diversa proponant, ut sibi hæc passim e diametro opposita sint. Verum hæc animadversio, cum in ea ratio specierum, quæ pertinent ad debilitatem, sita sit, curatius exponi meretur.

§. II.

Corpori humano hæc a natura vis ac potentia indita est, ut, in optima, qua potest, sanitate constitutum, variis iniuriis absque noxa ferendis par sit; neque id iis solum potentiis nocentibus, quas fere inevitabilis necessitas, quin ipsa sanitas suggerit, siquidem mediocritatis limites non egredientibus, sed illis etiam, quæ paullo maiores sunt, perferendis aptum natum est. Quis enim est, quem fugiat, quam facile sanissimi homines labores diuturnos, vigiliis protractas, comessationes, aëris mutationes pluraque alia tolerant &, absque sensibili aut insigniori



signiori labe, ferant? Atqui hæc hominis conditio *roboris* nomine insignitur, estque facultas corporis non fueris solum iniuriis, sed iis etiam, quæ paullo manifestius vim inferunt, ita resistendi, ut vel absque ullo, vel certe leviore ac fugaci damno admittantur. Neque crediderim, immerito illam roboris speciebus subiici, siquidem haud sine viribus præpotentibus aut cogitari, aut consistere potest; nam a causis haud levibus non turbari, aut parumper moveri, & constantiam virium, & quam parum ad morbosos recessus proclives sint, annunciat. Ut igitur impavidem illud magnam fortemque animam, ita hæc, de qua hætenus locutus sum, sanitatis constantia fortitudinem veluti corporis ac robur prodit. Huic autem ex adverso prima *debilitatis* species respondet, quæ est hominis utunque ceterum sani tanta ad ægotandum proclivitas, ut etiam a levioribus causis multum diuque perturbetur. Vocatur alias *status valetudinarius*, *valetudo infirma* &c. ipsosque homines, hanc infelicem affectionem adeptos, *infirmos*, *imbecilles*, (*schwächliche Personen*) nominamus. Etsi vero homines imbecilles a levibus quibuscunque causis graviter affliguntur: fieri tamen non nequit, ut satis ea commode ferant, quæ homo robustus, cum suæ aut consuetudini forte aut idiosyncrasie repugnent, non sine damno admittit. Quod ne putes his non consentire, quæ dicta sunt: ad ea respiciendum erit, quæ optime jam HIPPOCRATES de consuetudinis vi notavit (*Aphor. II, 49. 50.*) *Quotidianis inquit laboribus assueti, etiamsi invalidi sint aut senes, insuetis, quamvis robustis & iuvenibus, facilius consueta ferunt exercitia; & quæ longo tempore assueta sunt, etiamsi deteriora sint, minus iri, quæ insueta sunt, molestare consueverunt.* Sed pertinet hæc debilitatis species & ad universum corpus, & ad singulares partes, hanc optime confirmante *calendario*, quod vocant, *artuum*; estque interdum uni alterive tantum morbo, cui favet,





adstricta, alias vero ad morbos in univcrsum hominem proclivem reddit. Fit inde, ut sæpe incipiente quadam epidemia, imbecilles, adulta ea, robustos corripere observet.

§. III.

Interdum igitur debilitas *causæ prædisponentis* munere fungitur. Subinde vero *morbis* est. Morbi vocabulum, ut hæc præmoncam, interdum id, quod alias *status morbosus* nominatur, significat, rectius vero, præeunte GALENO, parti cuidam status morborum accommodatur. Status enim morbosus *symptomata, causas morbificas*, quæ ad corpus hominis pertinent, & *morbis* complectitur. Causa morbifica morbum, morbus symptomata producit. Itaque id, quod proximus symptomata efficit, *morbis* erit (GALENVS *de differ. morb. cap. 2. 7.*). Ut autem sanitas, quatenus in sensus incurrit, ab humorum & solidorum optima indole proficiscitur, ita symptomata, quod sensibilis est a sanitate recessus, læsam vitiatamque sibi aut liquidorum aut solidorum indolem ac naturam vindicat. *Morbis* igitur ea erit partium corporis humani conditio, qua præeunte sensibilis a sanitate recessus efficiuntur; patetque facile, quamlibet humorum & solidorum conditionem, quæ a sanitate recedit, merito morbum salvari. Atqui debilitas solidorum istiusmodi est solidorum conditio, quæ omnino sanitati ejusque legibus repugnat. Anne igitur morbus erit? Sed digna est hæc debilitas, quæ accuratius disquiratur.

§. IV.

Vires corporis humani ad solidas ejus partes a medicis referri, notum est. Quot igitur vires solidorum, tot quoque species hujus debilitatis (§. ant.) numerari possunt. Itaque sensibilis, irritabilis, vis cohesionis & elasticitas eadem affici possunt. Quodque ad *sensibilita-*



litem pertinet: ea duobus modis debilitatur. *Vel* enim adeo incre-
scit, ut a levioribus etiam causis in insolitos ac effrenos motus erum-
pat (§. II.), *vel* adeo elanguescit, idque contra naturam, ut etiam gra-
viores stimulos aut parum, aut omnino non sentiat (§. I.). Illa *mo-
bilitas generis nervosi nimia* (sensilitas, sensilitas aucta); hæc, pro gra-
dus differentia, aut *torpor*, aut *resolutio nervorum* (insensilitas) vo-
catur. Vidit *Perill. b. m. v. swieten* nobilem puellam, quæ a mi-
nimo sono aut lumine vividiori convellebatur illico, mirosque motus
cum lacerationis sensu in abdomine sentientem (*Comment. in Aphorism.
BOERHAAVII Tom. I. p. m. 35.*). Poteritne de hujus aut debilitate,
aut sensilitate dubitari? Hominem syncope, apoplexia &c. correptum,
debilitate generis nervosi laborare, nemo unquam negavit. Anne ve-
ro vis nervea in his, aut symptomatibus aut morbis, elanguida facta
vel torpet, vel resoluta est? Vis musculorum insita seu *irritabilitas*
non absimili ratione afficitur. *Paralysis* enim fibræ muscularis resolu-
tioni fibræ nerveæ, *torpor vis insite* torpori nervorum, & *irritabili-
tas* (nimia) auctæ sensilitati respondet. — Omnium autem latissime
patet ea debilitatis species, quæ vi cohesionis & elasticitati solidorum
inensa est; nam diversissimas admittit species, paulloque minus, quam
ceteræ insolens est.

§. V.

Vim cohesionis nempe gradu in universum, quo agit, dimeti-
mur (§. I.). Inde vero duplex, quæ ad eam vim pertinet, debilita-
tis species enascitur. Solida enim sic debilitata *vel* impulsui ac vi alio-
rum corporum nimis facile cedunt, *vel* his difficiliter quidem, quam
par est, cedunt, at *vel* propter hanc, quam dixi, nimis auctam re-
sistentiam, solito minus agunt. Si *prius*: solidum, ea debilitate affe-





Etiam, natura sua *vel molle est, vel durius*. Solida natura sua molliora, si quando viribus impellentibus similibusque minus resistunt, *vel distractionem magnam similemve mutationem absque ruptura ferunt, vel eandem haud facile absque subsequente ruptura patiuntur*. Illa *laxitas solidorum* vocatur; hæc, a quacunque demum causa oriatur, *teneritudo* nuncupari posset. Quod si vero solidum, natura durius, eadem debilitas occupat: id *vel flexile* evadit, tuncque *molle* dicitur, *vel facile solvitur*, tuncque *fragile* nominatur. Fragilitas iterum in *spongiosam & vitream* a GAVBIO dividitur. *Hæc solida propter auctam, illa propter diminutam cohesionem fragilia reddit*. Atque hæc de ea debilitate, qua solida minus, quam deberent, resistunt, cui etiam tum *solutio continui*, tum *inertia*, qua languor velurique torpor elasticitatis intelligitur, subiicienda veniunt. Quod vero ad *alteram* pertinet debilitatem, qua vis cohesionis afficitur, solida plus in isto quidem resistunt, sed idque vel propter auctam resistantiam, debilius agunt; ad eam plures aductæ nimis cohesionis seu *rigiditatis* species, ut tenacitas solidorum, referri debent.

§. VI.

Denique debilitas (§. I.) interdum *symptomatibus* accenseri debet. Nonnunquam enim virium languor ipse ingrata ratione sentitur atque *dyscinesia* (GALENVS de *sympt. differ.* cap. 2.) seu impotentia motus voluntarios rite exercendi stipatur. Id symptoma *lassitudinis* nomine in univèrsum venit. Lassitudo majoris gradus *prostratio virium*, maximi gradus *adynamia* dicitur. Lassitudo, quam tensionis aut gravitatis sensatio comitatur, *tonodea* (barodea, tensiva, gravativa) vocatur. Subinde puncturæ sensationem, ac si multæ spinæ parti infixæ essent, lassitudo infert, hæcque *helcodea* seu *ulcrose* nomine designa-

signatur. Quæ lassitudo manifestum calorem cum demorsu ac tensione iunctum habet, *phlegmonodea* (æstuosa) dicitur. *Phricodea* (horrida) ulcerosa, dolor autem osteocopus lassitudini phlegmonodeæ subicitur. Confer. GALENVS *de Sympt. caus.* Libr. II. cap. 5. *de sanit. tuend.* Libr. III. cap. 5. 9.

§. VII.

Ut has, quas hæcenus descripsimus debilitatis species uno veluti obrutu omnes B. L. intueri queant: brevi eas tabula comprehendere liceat. Debilitas igitur (§. I.) ad totum quam late patet statum morbosum (§. III.) ita pertinet, ut sit

I. *vel* causa eius prædisponens, tunc *imbecillitas* (eine schwächliche Beschaffenheit des Körpers und der Theile) nominanda, & diversa (§. II.) pro

1. ratione partium, imbecillitate affectarum. Huc spectat

a. *imbecillitas totius corporis*, eminens proclivitas totius corporis ad morbos.

b. *imbecillitas partium quarundam & topica.* Hæc uni tantum parti veluti infidet.

2. ratione morborum, ad quos hominem proclivem reddit. Quo respectu homo imbecillitate *vel* ad omnes, *vel* ad quosdam, *vel* ad unum modo morbum proclivis evadit (§. II.).

II. *vel* morbus; tunc *debilitas solidorum* in univèrsum dicenda (§§. IV. V.). Huc itaque pertinet

1. debilitas nervorum quatenus sentire possunt (§. IV.), huiusque species, quæ sunt

a. Mo-



a. *mobilitas nervorum* (generis nervosi); sensibilitas nimis aucta.

b. *insensibilitas*; sensibilitas aut diminuta nimis aut deleta. Cuiusmodi igitur subiecti potest

aa. *torpor sensibilitatis*; sensibilitas nimis diminuta.

bb. *resolutio nervorum*; sensibilitas deleta.

2. debilitas muscularium fibrarum, quatenus irritabiles sunt (§. IV.). Huius species sunt

a. *irritabilitas GAVBII*; vis muscularum insita nimis aucta.

b. *torpor vis insita*; vis muscularum insita nimis diminuta.

c. *paralysis*; vis muscularum insita deleta.

3. debilitas fibrarum & solidorum, quatenus cohærent (§. V.). Cuius loci est debilitas

a. vis cohæisionis in se spectata. Debilitatur hæc, quando præter naturam

α. decrevit. Quorsum pertinent

αα. *laxitas*; vis cohæisionis ita in parte molliori diminuta, ut solidum, ea affectum, distractionem magnam absque ruptura ferat.

ββ. *teneritudo*; vis cohæisionis in parte molliori sic imminuta, ut solidum a levi causa continui solutionem contrahat.

γγ. *mollities morbosa*; mollities partis durioris a statu sanitatis desciscens.

δδ. *fra-*

dd. *fragilitas spongiosa*; fragilitas partis durioris ob glutinis defectum.

β. tollitur omnino; tunc *continui solutionem* adesse dicunt.

γ. augetur; hæc in univcrsum *rigiditas* dicitur, adque eam referri debet

αα. *durities*; rigiditas partis mollioris, quæ immobilis facta est.

ββ. *tenacitas*; rigiditas partis mollioris, quæ ægrius sese distrahi sinit ac discerpi.

γγ. *fragilitas vitrea*; rigiditas partis, quæ vitri instar, fragilis evadit.

b. elasticitatis. Cui morbo subest

α. *inertia*; elasticitas partis contra naturam diminuta.

β. elasticitas nimis aucta, æque ac rigiditas partium, tanquam debilitatis species, spectanda.

III. *vel symptoma*. Quo in casu in univcrsum *lassitudo* vocatur (§. antec.).

§. VIII.

Atqui tot tamque diversas debilitatis species non uni remedio, etsi id etiam validissimum esset, cedere posse, absque ulla difficultate patet; neque ullus facile medicus erit, qui Corticem Peruvianum in quavis debilitate cum fructu adhiberi censcat. Sunt tamen, qui usum eius in tollenda debilitate latius, quam quidem ego existimo,

B

patere



patere arbitrantur. Ut igitur istæ debilitatis species, in quibus curandis Cortex iste vere indicatur, rectius intelligantur; vires Corticis cum natura causisque debilitatis comparandæ sunt.

§. IX.

Quodsi ductu observationum, seposita omni præiudicata opinione, vires Corticis Peruviani proponere animum inducas; has, ut arbitror, tamquam ceterarum scaturigines considerare poteris:

I. *Cortex Peruvianus massam humorum potius resolvit, quam in-
crassat.* Decoctum enim eius, sanguini admistum, rubicundiorum eum
& fluidiorum reddidisse SCHWENKII (*Hematol.* p. 188.) &
BRUNNERI (*A. N. C.* Vol. I. obs. 128.) observata ostendunt
(VOGEL. *Mat. med.* pag. 289.). Beneque memini, audivisse me,
aquam, Cortice Peruviano, imprægnatam, pura leviorum esse. Equi-
dem fateor, ista experimenta, siquidem extra corpus humanum in-
stituta, haud quaquam magni valoris esse, interim omittenda non
sunt, cum id, quod aliæ observationes declarant, confirmant at-
que corroborent. Nempe novimus, remedia, quæ amaritiei sua lin-
guam feriunt, vi resolvente prædita esse (VOGEL. l. c. §. 87.
BÜCHNERI *Diss. de plant. amar. insigni virt. med.* Hal. 1768. §. IV.).
Anne igitur Cortex Peruvianus eandem virtutem exeret? Sane
celeberr. TRALLES (*de Opio*, Sect. II. pag. 59.) vim Corticis Peru-
viani antifebrilem, qua intermittentes tollit febres, a vi ista at-
te- nuante non minus quam roborante deducere videtur. *Lentorem* (in
febris intermittens) *vere subesse*, inquit, *ex eo demonstratur*
evidentissime, *quod omnia remedia attenuantia, solventia, saponacea,*
simulque excitantia spiritus, nervina & corroborantia dicta, experientia
teste sint antifebrilia, quorsum amara, acria aromatica, salina, sapo-
nes,



nes, volatilia spectant, ipse Peruvianus Cortex, qui per millena experimenta potenter attenuat, etiam in decocto in vasa viventium animalium intellectus, nervis simul amicum pharmacum. In affectibus scrophulosis saluberrimas Corticis vires, ipsi interdum aliquot chalybis granis additis, expertus est FOTHERGILL (*Medic. observ. and Inquiries &c.* Vol. II. pag. 265. conf. *Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest.* Vol. XII. pag. 457. 458.), satisque notum est, in quibusdam viscerum obstructionibus cum fructu Corticem Peruvianum adhibitum fuisse (*de HAEN Rat. Med. Part. XI. pag. 34. 35.*). Potuissetne Cortex in his exemplis iuvare, nisi vi incrassante destitueretur potiusque resolvente gauderet? Neque, qua ipsi ratione hæc virtus denegari possit, perspicio. Quod enim de vi eius adstringente osiores illius somniarunt, non adeo existimo magni faciendum esse. Nam Cortex Peruvianus, qui bonæ notæ est, potius amaritie suæ, quam adstrictionis quodam sensu linguam afficit; quodque forte adstringens principium ipsi inest, vi ipsa succorum diluente deleterur. Neque observatis certis ac indubitatæ ista de adstrictione assertio innuitur. Id enim quod a febribus intermittentibus, nimis cito suppressis, quas scilicet obstructiones viscerum insequi solent, repetitur argumentum, iamdudum explosum est. Notavit quidem FOTHERGILL (l. c. Vol. IV. pag. 123. conf. *Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest.* Vol. XVIII. pag. 396.), post nimium Corticis Peruviani usum, neglectis interea lenioribus laxantibus, obstructionem alvinam difficillimam ex fecum duritiæ obortam fuisse; verum ipse huius rei causam adiungit, monet enim, *pulverem hunc non digeri, sed in successivo transitu per cavalem intestinorum in massas irresolubiles cogi, vi motus peristaltici non expellendas.* Et manifestum est, pulverem non solum magna que copia ingurgitatum, huncce



potuisse effectum producere. At vero Corticem Peruvianum, legitime usurpatum, nequaquam obstructionem alvinam inferre, præter alia plurium medicorum, imprimis ALBERTINI, observata, id quoque corroborat, quod BUREL consignavit (*Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest.* Vol. XIX. pag. 485.): Vir triginta quinque annorum, temperamenti melancholici debilisque constitutionis, ab ineunte ætate doloribus vehementissimis in regione iliaca sinistra cum constipatione alvi, vomituritione & febre affectus, per copiosas paullo post evacuationes alvinas materiæ duræ tenacisque, his symptomatibus liberabatur. His periodicis recurrentibus, & a clar. auctore semper levatis, anno 1768. eiusmodi gravem insultum æger expertus est, qui nec optimis medicamentis cederet, potiusque indies auferetur, ita ut die quinto, cum ob continuum vomitum singultumque, qui materiam fæulentam redolentem, ne quidquam ingerere possent, morti iam proximus crederetur. Corticis tandem Peruviani infusum cum Manna, confectioe hyacinthi & sale volatili viperæ cochleatim ingessit, horisque duabus post, cum vomitu non reiiceretur, alteram decoctionem Chinæ sine purgante subiunxit, quibus evacuationes alvinas copiosas habuit: hisque per aliquot dies continuatis, æger optime convaleuit. Quidquid etiam de hac observatione sentiendum esse existimes B. L.: id tamen inde intelligis, Corticem Peruvianum haud quaquam alvum strictam indiscriminatim efficere. Negat quoque vim Corticis adstringentem HEBERDEN (*Medic. Transact.* Vol. I. pag. 469. conf. *Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest.* Vol. XVII. pag. 211.), cum lochia & catamenia non represserit, nec salivationem in variolis confluentibus cohibuerit. Et notavit de HAEN (*Rat. Med. Part. III. pag. 125.*), quod Cortex, si adstringeret, rigidis nocere debe-

beat. — Neque ob terrearum, quas continet, particularum copiam, Cortici vim incrassantem adscriberem, cum, si hanc disputandi rationem sequi velis, forte nulli vegetabili, quod amarum est, vim resolventem tribuere posses. In omnibus enim terra abundat.

§. X.

II. *Cortex peruvianus in quibusdam nervorum ac fibrarum muscularium morbis efficax ac praestans est remedium, interdumque ceteris omnibus palmam praeripit.* Quam assertionem, ne fundamento destituta esse videatur, paucis expendamus. *Primo* quidem vulgo notum est, Corticem Peruvianum in *febris intercurrentibus* tum universalibus, tum topicis, tam latentibus, quam manifestis & apertis, specificam fere virtutem possidere. Verum causam istorum morborum proximam in turbis quibusdam nervorum, nondum satis definitis aut definiendis, consistere, nunc fere extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. De *epilepsia*, Cortice Peruviano curata, cum haud pauca eius exempla extant, *TISSOTI* modo, viri egregii, cogitata adducere liceat: *Ich habe die Chinarinde, inquit ille, zu verschiedenen mahlen gebraucht und die erwünschtesten Wirkungen davon wahrgenommen. Ich habe sogar zwey Curen damit ganz und gar verrichtet; allein das genaue periodische, welches die Krankheit in diesen beyden Fällen beobachtete, eben so wie bey demjenigen, welchen GRAINGER beschreibt, dessen Patient alle sechs Tage einen Anfall hatte (febr. anom. Bat. pag. 112.), die Schwäche des Magens, die Kräftlosigkeit, welche in den andern Fällen, wo ich sie gebraucht habe, vorhanden waren, überzeugen mich, daß die Chinarinde in sol-*



chen Epilepsien mit Zutrauen zu gebrauchen sey, welche von einer derer vorher angeführten Ursachen herrühren, daß sie aber keine antiepileptische Kraft ohne Ausnahme besitze, und daß, wenn es auf Abheilung eines Fehlers im Gehirne, auf jene vorhergehende Geneigtheit, welche der Grund der Krankheit ist, ankomme, sie dem Baldrian gar weit nachstehen müsse. Ich halte sie, verschiedenen Wahrnehmungen zu Folge, überhaupt sogar noch geringer, als das Eisen, in allen Nervenkrankheiten. Vid. EIVS Abhandl. von der Epilepsie oder fallend. Sucht. Berl. 1771. pag. 293. 294. Memorabilem sternutationis vehementis, Cortice Peruviano sublata, casum commemorat BERGIVS (Act. Acad. R. S. Succ. Vol. XXIII. pag. 296. conf. Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest. Vol. XII. pag. 540.): Feminae 26 annorum, doloribus capitis, dentium &c. inde a prima iuventute subiecta, contigit sternutatio paroxyfmi leges servans. Praecessere paroxyfimum quemvis palpitatio cordis, anxietas, ardor infra sternum prope orificium ventriculi, inquietudo; ex quibus certo & adventum paroxyfmi praedixit & durationem. Sternutatio vehementissima fuit, certe pro convulsiva habenda, solum vero ab orificio ventriculi excitata, siquidem nihil animadvertebatur irritationis, quae sternutationes alias cum rheumatismis coniunctus comitatur. Paroxyfmi non nisi primis diebus, hora 9 antimeridiana & 6 pomeridiana accedentes statim tempus servarunt. Per integram horam imo duas horas durarunt sternutationes. Uno paroxyfminorum 1320 numeratae sunt, aliis 600 vel 800. Finito paroxyfmo sudore maddit femina, & viribus plane prostratis. Multis frustra tentatis, Corticem Peruvianum ei praebuit auctor, eo solo indicio motus, quod morbus paroxyfmos servabat & sudore finiebatur, tamen ipsa fateatur, nulla alia symptomata febrilia adfuisse & sudorem ab agitatione



tatione corporis esse provocatum. Interim adeo felix fuit hæc coniectura, ut paucis diebus præterlapsis & sternutatio cessaret & morbus omnis. Sequutus fuerat hic morbus mærorem feminae insignem & diurnum. Aliquot menses post, cum valuisset, alio mærore correpta, in similem morbum — incidit, paroxysmis tamen multo debilioribus, & post 14 dies, nullo adhibito remedio, cessantibus. Abiit vero morbus in febrem &c. In *tetano maxille inferioris* eundem Corticem commendavit BISSET, Opium in univ. respuens (*Comment. de reb. in sc. natur. & med. gest.* Vol. XV. pag. 117.). Atque omnino, si hic coniectura uti liceat, non videtur Cortex in quibusdam saltim huius & tetani in univ. speciebus, quæ scilicet morborum intermittentium naturam sequuntur, inutilis esse; neque vero Opii laudibus quidquam eo detrahi velim. In *tussi convulsiva*, scarlatinam & morbillos excipiente, Castorei & Corticis commixtionem utilem deprehendit MORRIS (ibid. Vol. XVI. pag. 147.). In *convulsionibus periodicis* Corticem laudat SYMEIRE (ibid. Vol. XIV. pag. 391.). Sed quid plura? In omnibus spasimis, per circuitus redeuntibus, & a nervis nimis mobilibus aut inordinato motu agitata, pendentibus, subinde Cortex saluberrimo cum effectu usurpatus fuit, indeque etiam in morbis, inde iterum oriundis. Suffulit quoque *dolores periodicos*. Sic BERTRAND memorat hæc: Femina laborabat iam per octodecim annos dolore periodico supercillii, qui oculum unum & regionem temporalem sensim occupabat, alter vero oculus integer erat. Hic dolor incipiebat quotidie hora nona matutina & hora septima vespertina cessabat. Adhibito Cortice, huius ope, reliquis antea remediis frustra tentatis, morbum depulit. Odontalgiam periodicam, quotidie per integros duos menses, hora septima matutina recurrentem duasque horas duran-





durantem, Cortice Peruviano intra quatuor dies in puero undecim annorum sanavit RICHTER (Chir. Bibl. I. B. 3. St. Seit. 24.). Mitto plura exempla, cum res dubio careat. Conf. VOGEL & imprimis MEDICVS von den periodischen Krankheiten, 2. B. Seit. 344. 345. qui permultos alios morbos nervorum ac fibrarum muscularium periodicos, ut loquuntur, recenset, Corticis Peruviani usu sublatos. Huc quoque efficax Corticis Peruviani virtus in *malo hypochondriaco & hysterico* pertinet (VOGEL l. c.). Quis enim nescit, utrumque morbum a turbis fibrarum muscularium ac nervearum oriri? Et si quid ferii verique in ea est assertione, quam egregii quidam nostræ ætatis Viri defendunt, esse nimirum Corticem Peruvianum unum e præcipuis remediis antiphlogisticis, quæ *inflammationibus* resistunt easdemque infringunt: quin id inde proveniat, quod Cortex Peruvianus frenum quasi inordinatis ac violentis nervorum moribus iniiciat, dubitari nequit. Quod superest, ad hanc ipsam Corticis Peruviani vim permultæ aliæ, quas præstitit, sanationes, quasque silentio prætereundas existimo, pertinere videntur, ut laudes Corticis in hæmoptysi, in fluxu mensium nimio, in abortu præcavendo (VOGEL l. c.). Notandum tamen, morbos hucusque recensitos non nisi tum Cortice secure constanterque curari, quando *vel* absque ulla materie subnascuntur, *vel* præsens materialis causa ante Corticis usum remota fuit. MEDICVS ipse hoc fatetur, etsi Corticem valdopere laudat (l. c. pag. 346. seqq.), omnesque nunc medicos sic sentire, quis ignorat?

§. XI.

III. *Cortex Peruvianus in morbis, qui a debilitate solidorum pendent, utilis fuit.* In diuturnis diarrhœis, in fluxu hepatico, in laxitate
nimia



nimia pulmonum, phthisim minitante (VOGEL l. c. pag. 287.), in quibusdam hydropis speciebus, in ictero & obstructionibus, debilitati adscribendis, in cachexia & chlorosi pluribusque aliis morbis, quos laxitas & inertia solidorum efficit, valdopere laudatur, subindeque in iis non spernendam opem attulit. Plura de hac Corticis Peruviani virtute dein dicentur.

§. XII.

IV. Denique *Cortex Peruvianus motus humorum intestinos, si quando naturæ modum excedunt, coercet.* Docent id PRINGLIJ, MACKBRIDII plurimumque experimenta. Multo vero id magis instituta in morbis experimenta ostendunt. Nam febribus putridis, gangrænæ, diathesi purulentæ, phthisi, febribus lentis & hecticis, ulceribus malignis, cancro, spinæ ventosæ & cariosæ ossium corruptioni, Corticem hunc plus minus frequenter mederi, observata practica docuerunt. Memorabilem casum incipientis intestinorum gangrænæ, usu Corticis per metastasin gangrænosam, in scroto obortam, sanatæ, recenset HENCKEL (Neue medicinische und chirurg. Anmerkung. Erst. Th. pag. 131. seqq.). Anne concludi inde posse videtur, Corticem non solum vi sua antiseptica, sed eo etiam, quod excitat velutique animat nervos fibrasque irritabiles, gangrænæ resistere? Nam putredinem in casu proposito non sublatam fuisse, manifestum est.

§. XIII.

De virtute Corticis Peruviani *anthelmintica*, omnino per observata comprobata, non est, quod plura verba faciamus. Videtur enim vi roborante (§. XI.), resolvente (§. IX.) & antiseptica (§. ant.) verminosæ colluviei adversari. Erunt quidem forte, qui amariciem

VIX 2

C

Cor-



Corticis acculent; verum amara, propter amaritiam suam, haud quam vermes enecare, instituta experimenta docuerunt, ipsumque Corticis infusum, vermibus adfusum, hos nullo modo turbavit (v. SWIETEN *Comment. in Aphor. BOERHAAVII*, Tom. IV. ad §. 1371. pag. 729. 730.). Neque de laudata in *calculo* Corticis praesentia pluribus differendum esse putavi, cum haec virtus, ad resolventem & roborantem (§§. IX. XI.), forteque etiam ad antisepticam (§. ant.) & illam, qua irregulares nervorum motus, superstite interdum causa eorum materiali compefeit (§. X.), pertinere videatur (SÜCHNER I. c. §. XX.). Quod superest, etsi certe non is sum, qui Corticis vim explicare possit ac sustineat: attamen id, quod comprehendere non posse existimat de HAEN, satis e dictis bene capio. *Peruvianus Cortex*, inquit, *sistit gangranam, vitam reddit amissam partibus, moderatur calores maiores, minores animat, criticas excretiones promovet, mictum cruentum sistit, cruentam corrigit alvum, motus febriles maiores compefeit, tardiores auget, sistit haemorrhagias, promovet sanguinis evacuationes periodicas, sanguinem mucosum attenuat, condensatque aquosum: quae singula ab una eademque causa exponere cum impossibile sit, ignorantia potius fatenda est, quam temerarias coniecturas prodere* (I. c. Part. XV. Ind. pag. 194. coll. Part. III. pag. 123. seqq.). Coniecturis sane non opus est. Qui recensitas in prioribus Corticis Peruviani virtutes perpendit, imprimisque illam, de qua locutus sum §. X. considerat, absque ulla intelliget difficultate, eundem non posse non diversos effectus producere: sic a turbis nervorum haemorrhagarum & excessus & suppressiones contingunt; illas cum corrigit Cortex: haemorrhagias sistere, moderari, restituere valet. Anne per multa alia remedia, imprimisque roborantia, aequae ac Cortex oppositos effectus exerunt?

§. XIV.

Sequitur iam, ut ad debilitatem revertar huiusque diversas species cum iis comparem, quæ de virtutibus Corticis Peruviani dicta sunt (§. VIII.). Vidimus §. X. Corticem Peruvianum turbas generis nervosi subinde compefcere, rerumque usus docet, eundem Corticem, quod ad hanc virtutem pertinet, permultis interdumque omnibus aliis remediis palmam præripere. Quapropter cum Cortex tam potenter in nervos agat, turbasque generis nervosi refrænet; is sane in eâ debilitatis specie, quæ *mobilitas nimia generis nervosi vel sensilitas aucta* vocari solet (§. VII.), potentissimum & ut ita dicam, indicatissimum erit remedium. Incredibile fere est, quam cito sæpe Cortex morbos, qui ab isto vitio eodemque solo proveniunt, tollat atque in fugam agat. Non sine admiratione in viro, qui gravi mœrore afflicto, plures iam noctes infomes transegerat iamque in febriculam inde continuam amphimerinam cum virium & appetitus prostratione inciderat, non sine admiratione, inquam, in hoc cæteram utcumque sano viro vidi, quam cito non adeo etiam magna infusi Corticis Peruviani quantitas somnum viresque, febre simul proffigata, revocabat. Pater ex hac observatione simul, quare Cortex Peruvianus nonnumquam cum Opio comparatus visque ipsi narcotica adscripta fuerit (CRANTZ *Mat. med. & chir.* Tom. II. p. m. 28.). Opium enim, in proposito casu, forte idem præstitisset auxilium, notumque est, in morbis, quos generat nimia nervorum mobilitas, Corticem & Opium æqua sæpe vi pollere. Inrerim tamen Opium & Cortex insigniter inter se differunt. Illud *debilitando*, hic *roborando* agit; Opium volatili suo principio, Cortex, siquidem illo carens, absque eo nervos afficit. Quæ vero etsi ita sunt, vultiter tamen utrumque remedium in his casibus coniungi.



experientia docuit. — Quod de mobilitate generis nervosi nimia dixi, id facile etiam *irritabilitati nimie*, illi semper adiunctæ, accommodari poterit (§. X.), putoque fore, ut eximiam nostri Corticis in moderanda nimia irritabilitate virtutem tanto facilius concedas, si perpendere velis, irritabilitatem fibrarum muscularium absque nervis cogitari non posse, ipsamque irritabilitatem id omnino esse in fibris muscularibus, quod sensilitas est in nervis. Inter utramque enim vim, si agendi rationem spectes, summa obtinet convenientia. Quia in morbis adeo conspirant, ut nescias sæpe cuinam proprie enatos morbos tribuas.

§. XV.

Quodsi porro de Corticis usu in *torpore cum sensilitatis*, tum *irritabilitatis*, atque *resolutione nervorum ac paralyti* (§. VII.) quaeras: de eo non una semper ratione statuendum esse existimo. Possè illum in prædictis morbis utilem esse, nemo facile negabit, cum & sint inter eos morbos, qui, ut dicere amant, *periodicorum* indolem nonnumquam sequuntur (§. X.), & eorum causæ sic interdum comparatæ sint, ut Cortex Peruvianus iisdem omnino mederi queat. Sic in amaurosi periodica sanationem sæpius præstitit Cortex; sic idem paralytes intermittentes tollit (VOGEL *Prælect. de cognosc. & cur. præcipuis C. H. affect.* pag. 469.). Tollendo putridum irritandoque sua amaritie nervos, torporem in febris putridis, gangræna partium &c. sanare potest. Neque omnino in eo torpore inutilis erit, qui inertiam, rigiditatem & laudabilium humorum defectum insequitur. Nam incitat sua amaritie nervos fibrasque musculares, coctiones ideo perfectiores reddit, fluidaque resolvit (§. IX.). Verum enim vero si ab iis casibus disceseris, ubi istiusmodi morbi aut intermittentes sunt, aut a putredine humorum proveniunt, numquam facile Corticem

ricem adhiberem. Intermittentes enim morbos, si rite usurpatur, Corticem cito atque secure meliusque, quam cetera hucusque cognita remedia, sanare, notum est. Merito igitur, & remissis premitendis, in his morbis commendatur. Cumque vis Corticis antiseptica, quæ plane eximia est, per tot illustria exempla comprobata sit: torpor fibrarum, qui a putredine humorum proficiscitur, usum Corticis procul dubio indicat. Verum reliquas torporis causas aut omnino non tollit Cortex, aut ita tollit, ut iisdem vel æque bonis, vel etiam melioribus remediis obviam ire possis. Et per multas torporis, resolutionis nervorum ac paralysis causas Corticem omnino non tollere, nemo inficias ibit, qui meminit, defectum sanguinis, validissimas causas comprimentes, insuperabilem rigiditatem & plura similia istos morbos inferre posse, quibus qua ratione Cortex mederi queat, ego quidem non perspicio. Neque de altero, quod asserui, esse nimirum causas torporis, quibus quidem medetur Cortex, sed ita, ut alia etiam, quæ æque bona, quin meliora remedia sint, adhiberi ad eas tollendas queant, quisquam dubitabit, cum plura alia amara, irritantia ac roborantia, ut Absinthium, Camphora, Valeriana, Martidalia &c. vel æque sint in quibusdam casibus bona, ac Cortex, vel etiam meliora. Quæ cum ita sint, perpaucis modo torporis, resolutionis nervorum ac paralysis casibus Corticem plane accommodatum esse, colligo.

§. XVI.

Iam vero de laxitate & inertia solidorum (§. VII.) differi debet usque Corticis in hisce debilitatis speciebus. Vim cohesionis a terra glutineque solidorum proficisci, tantoque in universum maiorem esse, quanto plus terræ in solidis glutini admixtum est, neminem fugit.



Id autem remedium, quo laxitas ac inertia partium tolli debet, huius indolis esse oportet, ut vel copiam terræ in glutine augeat, ut viscus durus, vel vim glutinis concretescibilem iuteadat, ut spirituosâ concentratiora, vel nifum elementorum, quæ ipsis iam solidis inexistunt in cohesionem maiorem reddat, ut Mars, frictio, ligatura, motus corporis, vel demum causas laxitatis & inertiae remoras tollat atque profliget. *Esne autem Cortex Peruvianus remedium, quo glutinis terra augetur?* Non crediderim. Nam si esset istiusmodi remedium: rigido corpori vehementer noceret (de HAEN l. c. Part. III. pag. 125.). Præterea diximus §. IX. Corticem Peruvianum liquida potius resolvere, quam inspissare. Etsi igitur terram glutinis augetet Cortex: attamen vi resolvente, quæ accedit, actio terræ auctæ impediretur. Denique permulta alia medicamenta æque magnam terræ copiam, ac Cortex, continent, quæ tamen nec glutinis terram augent, nec laxitatem tollunt. *Augetne forte Cortex Peruvianus proclivitatem glutinis ad concretionem?* Neque hoc crediderim. Anne enim itidem rigidis corporibus valdoperè noceret? Potuissentne a quibusdam in morbis inflammatoriis tantoperè laudari? Anne etiam resolvit potius, quam condensat liquida? Quod vero ad *nifum elementorum in cohesionem*: hic duplici a medicamentis & remediis fortior reddi potest. *Vel enim solidis ea elementa addunt, quæ sunt specificè graviora, ut Martialia, vel contractionem solidi adiuvant* intenduntque, ut ligatura ceteraque, iam in prioribus commemorata. Atqui Cortex Peruvianus, cum sat parvam gravitatem specificam nactus sit; nequaquam, Martis instar, nifum in cohesionem valet auctiorem efficere. Verum *contractionem solidi omnino adiuvare potest, dum 1) torpentes fibras musculares ad fortiores contractiones sollicitat (§. anteced.); 2) irritando torpentes nervos, horum*



rum in solida actionem promovet (§. anteced.); 3) immediate relaxatis partibus applicatur, has tunc vi eadem, qua adstrictionis sensum in lingua excitat, afficiens, quorsum ventriculus, intestina, vesica urinaria pluresque, Cortice nempe externe in clysteribus, iniectionibus &c. adhibito, referri possunt. Quamquam vero hæc ita sunt, attamen usus Corticis, vel hoc in casu, sat arctis limitibus circumscriptus est. Etenim 1) non omni torpori convenit Cortex Peruvianus (§. anteced.); 2) Martialia, leniter adstringentia, frictions, amara alia vel æque id bene, vel etiam melius præstant. Quo ipso etiam factum est, ut eximius TISSOTVS (l. c.) Martialia & præferat Cortici in debilitate, & fortissima roborantia nuncupet. 3) Vis Corticis adstringens post eius in sanguinem ingressum extinguitur, ipsaque vi resolvente, quam possidet, valdopere minuitur (§. IX.). Non meretur igitur Cortex, qui ideo contra laxitatem commendetur, quod nifum elementorum in cohæsiõnem augeat fortioremque reddat. Superest, ut inquiramus: *num Cortex Peruvianus causis laxitatis & inertie solidorum remotis obviam eat?* Inopia terræ in glutine; aquositas & mucositas glutinis; abundantia olei in eodem; resolutio glutinis ab acri; distractio & distensio fibræ nimia, fortis, diuturna; contractio fibrarum invalida; interdumque error quidam nutritionis, qui nonnumquam in paralyfi observatus est, causas sistunt laxitatis remotas. Verum Cortex Peruvianus copiam terræ in glutine non auget, quod in antecedentibus evictum dedimus; idemque distractionem & distensionem partium, in univèrsum consideratam, non tollit, contractioni porro fibrarum invalidæ proprie, ut diximus, destinari non potest; demumque eius usu nutritionis errorem removeri posse, nemo facile affirmabit. Quam ob rem his remotis, perpauca modo laxitatis causæ supersunt, quibuscum Cortex Peruvianus comparari debet.

D

Muco-





Mucositatem & aquositatem humorum usu Corticis propelli posse, notum est (§. XIII.); neminem vero fugit, hanc Corticis virtutem ipsi cum ceteris blandis amaris vegetabilibus & Martialibus communem esse. Idemque de oleo abundante dicendum. Neque acridinem humorum, putredine huicque similibus exceptis, singulari aut paucis adscribenda ratione tollit. Quare Cortex Peruvianus, quod ad laxitatem pertinet & inertiam solidorum, interdum quidem utilis est, at vero non adeo utilis, quin alia sint remedia, quæ ipsi aut æquiparari aut etiam præferri mereantur. Idemque *de mollitie ossum* (§. VII.) dicendum.

§. XVII.

In reliquis dicendis breviores esse possumus. *Teneritudinis* (§. VII.) & laxitatis solidorum non omnino absurdæ ratio est; multa igitur, de hac dicta (§. ant.), ad illam quoque applicari possunt. Cum tamen teneritudo sæpius cum mobilitate generis nervosi, tum irritabilitatem maiorem adiunctam habeat, prætereaque a putrido similive humorum corruptione interdum nascatur: intelligitur, Corticem Peruvianum, si istiusmodi teneritudinis casus incidant, recte meritoque usurpari. Latius igitur usus Corticis Peruviani in teneritudine patet, quam in priore debilitatis specie (§. ant.).

§. XVIII.

De *rigiditate auſtaque partium elasticitate* (§. VII.), non est, quod multa verba faciamus. Nemo facile Corticem Peruvianum, ut hos morbos curet, usurpabit. Etsi enim Cortex fluida resolvere videatur, propterque id adhiberi posset: attamen meliora & præstantiora remedia sunt, quæ in usum vocari possunt. Neque *continui*
solu-

Solutio, nisi forte motus intestinalis coercendus sit (§. XII.), usum Corticis Peruviani postulat, quamquam is a multis in vulneribus commendari solet, scilicet eum existiment, eo inflammationem coerceri, curari (§. X.).

§. XIX.

Pertractatis morbis istis, qui ad debilitatem referuntur, superest, ut de *imbecillitate* & *lassitudine* (§. VII.) dicam. Et illa quidem vel unam alteramve hactenus recensitarum debilitatis specierum pro causa agnoscit, quò in casu quid de usu Corticis Peruviani valeat, ex antecedentibus intelligi potest, *vel* in alia quacunq; gravi prædisponente causa sita est, ut calculo, verminosa colluvie &c., tuncque, paucissimis casibus exceptis, qui sponte e superioribus cognosci possunt, Cortex nullam omnino utilitatem adferet. Igitur usus Corticis in reconvalescentibus, quos vocant, etsi is latissime patet, arctissimis tamen limitibus circumscribi debet. Nisi enim a superato morbo mobilitas nimia generis nervosi relicta fuerit, Cortex Peruviano carere possumus. Equidem fateor, non solum a medicis indiscriminatim fere Corticem post superatos morbos commendari, sed circumferri etiam illustria efficaciam eius exempla. Verum quod hæc attinet, permulta, ut arbitror, enarrantur, quæ vix in laudem divini Corticis cedere possunt. Nam subinde, ut puto, non Cortex, sed tempus, optima simul diæta accedente, relicte debilitati medetur.

§. XX.

Lassitudo ab ea debilitate, quæ morbus est, proficiscitur (§. VII.). Itaque Cortex Peruvianus numquam in lassitudine vere ac necessitatis quadam specie nisi in illa indicatur, quæ ad debilitates in §§. XIV.

& XV. cum Cortice Peruviano comparatas, pertinet. In quacunque alia aut inutilis est, aut etiam nocivus, ut in ea, quam primarum viarum cruditates efficiunt (§. X.). —

Atque hæc sunt B. L. quæ de usu Corticis Peruviani diversis debilitatis speciebus accommodando, pro impetranda Doctoris dignitate dicenda habui. Patet vero e dictis: *Corticem Peruvianum tantum indicari in*

I. *nimia generis nervosi mobilitate aut nimia irritabilitate;*

II. *resolutione nervorum ac paralyfi intermittente;*

III. *ea debilitate, quæ a putredine similive humorum masse corruptione proficiscitur.*

In ceteris omnibus debilitatis speciebus vel omnino vi roborantæ caret, vel utilis quidem est, ita tamen, ut aliis, quæ aut æque bona, aut etiam meliora sunt, remediis uti possis. Plura superesse non ignoro, quæ hac de materie differi possent. Verum temporis ratione admonitus, finem huic scriptiunculæ impono.



710






V078
PICA





DE
CORTICE PERUVIANO
SPECIEBVS DEBILITATIS

MAGIS ACCOMMODANDO



EX CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPHO
BOEHMERO

REGI A CONSILIIIS AVLICIS,
CHIRVRGIAE PROF. PVBL. ORD.
ICAE SENIORE ETC.

RO
DOCTORIS

TINENDO


BR. MDCCLXXV.

ISPVTABIT

T O R

TLIEB NEIGEFIND,

- SILESIVS.



D SALAM,

ENR. HESSIL

